

de re gravi, et occulta, satis erit si a circulo discedat; aut si nitatur sermonem alio traducere, aut si ostendat sibi illud displicere, vultum alio convertendo, aut oculos demittendo vultum valde serium ostendendo (1).

18. Notandum 8. injustum detractorem teneri ad famæ restitutionem, et etiam ad damnum illi causatum (dummodo sit saltem in confuso præcognitum); et non solum cum delictum impositum est falsum, palinodiam canendo apud auditores, tam mediatos, quam immediatos (cum immediati negligenter advertere suos auditores); sed etiam quando est verum, prospiciendo modo quo meliori potest, dicendo v. g. : *Erravi, allucinatus sum, me fecellit, mentitus sum;* quia omne peccatum est fallacia, et mendacium, juxta s. Joan. Ego soleo hoc consilium dare, ut dicant: *Ex capite meo hoc erui,* (vulgo *me l'ho cavato dal capo*) æquivocando quia omnia verba e mente (pro qua accipitur caput) procedunt. Quod si unquam famæ restitutio probabiliter majori damno potius, quam utilitati infamia notata futura esse judicaretur, quia præsumeretur ab hominum memoria effluxisse (ut jam præsumitur, cum famæ obrectatio multo abhinc tempore acciderit, et inde hoc omnino in oblivione jacuerit): tunc satius est occasiones captare infamatum laudandi in aliqua ejus virtute; ut eum in bonam aliorum opinionem ponat, quam res præteritas hac famæ restitutione in memoriam revocare. Confessarius tamen curet ut hujusmodi famæ compensationes, cum commode fieri possunt, ante absolutionem fiant, quia postea difficulter adimplebuntur; licet ceteroquin hæminus difficultatis habeant, quam pecuniæ restitutio (2).

19. Denique notandum detractorem plurimis ex causis posse excusari a famæ restitutione: 1. Si delictum jam ex alia via fuerit factum publicum, aut si infamatus aliis mo-

(1) N. 930. — (2) Lib. 3. n. 992.

dis suæ famæ consuluerit; 2. si prudenter præsumitur diffamatus remisisse, dum quilibet est suæ famæ dominus, ut dicunt Laym. Nav. Trullench. Busemb. Holzmam etc. cum communi (3); modo, intelligitur, possit remitti, dum remittere non potest quando ejus infamia cederet in scandalum, aut in damnum commune, aut suorum; 3. si ob famæ restitutionem subeundum esset periculum vitæ, aut damnum multo gravius, quam est illud infamati; 4. si judicatur quod detractio præstata non sit fides, ut quando fit in iracundiæ calore; 5. si prudenter judicatur quod factum oblivione sit deletum, ut supra dictum est; 6. si infamatus etiam tibi detraxit, et adhuc non restituit, quia tunc juxta sententiam communiorem et probabiliorum Soti Sylvii Vigandt Tournely Laym. Salmant. etc. tu potes suspendere tuam restitutionem, donec alter adimpleat suam (4).

20. Dubitatur 1. an cum famæ restitutio non potest fieri, teneatur detractor pecuniis compensare? Alii ut Sylvius Sotus etc. cum s. Thoma (5) probabiliter affirmant, quia fama etiam est pretio æstimabilis. Sed sententia communior, et probabilior cum Lessio Lugo Sanx. Laym. Vasq. Bon. Salm. Croix etc. negat, quia justitia obligat solum ad restituendum ablatum, aut æquivalens; sed fama, cum sit diversæ speciei, quoniam ordine superior est bonis, nunquam quocumque pretio compensari potest. Unde restitutio facta per pecuniam nunquam erit congruens satisfactio, cum infamatus semper eodem modo quam ante pretii solutionem creditor restaret (6). Observetur quod dictum fuit *Tract. 10. n. 83.*

21. Dubitatur 2. an cum detractor non potest, aut non vult famam restituere, possit infamatus pecunia se compensare a detractore? Alii dd. negant, quia nequit fieri compensa-

(3) N. 1003. — (4) 998. et 999. — (5) 2. 2. qu. 62. a 2. ad 2. — (6) I. 3. n. 627. et 4000.

tio cum sola probabili opinione. Alii tamen affirmant, ut Lessius Molina Arag. Ledes. etc. et Salm. admittunt hanc opinionem uti practice probabilem, dicentes regulam, non posse compensari cum probabili, procedere cum debitum est dubium non vero cum est certum, ut certum est creditum quod habet offensus de sua fama, et dubium tantum versatur de modo compensandi, et hunc modum probabiliter admittunt dd. (1). Hoc non obstante ad hæreo primæ sententiæ, dum infamatus est creditor in materia famæ, non autem bonorum; et si probabile est, imo probabilius (ut nuper vidimus) non teneri detractorem pecuniis compensare, cum non potest famam reparare, semper evenit, quod infamatus compensatur ob creditum tantum probabile, non certum (2).

(1) N. 1001. — (2) Vide l. 1. n. 35. v. Hinc. (3) Lib. 3. n. 995.

TRACTATUS XII.

DE PRÆCEPTIS ECCLESIAE

1. Præcepta ecclesiae sunt multa, sed principaliora et communiora populo christiano sunt quinque: 1. Sacro interesse diebus dominicis, et festis de præcepto (sed de hoc jam satis in tertio præcepto decalogi): 2. jejunare in quadragesima, vigiliis, quatuor temporibus; 3. abstinere a carnibus feria sexta, et sabbato; 4. confiteri saltem semel in anno, et communicare in Paschate; 5. non celebrare nuptias temporibus vetitis, et de hoc agetur in *Tract. de matrimonio*. Itaque restat hic agendum de 2. 3. et 4. præceptis. In 1. capite erit sermo de jejunio, et hic etiam agetur de abstinentia a carnibus; in 2. capite de confessione et communionem annuali.

CAPUT I.

De jejunio ecclesiastico.

PUNCTUM I.

DE JEJUNII OBLIGATIONE.

2. De abstinentia a carnibus.

I.

22. Aliquid hic addendum circa libellos famosos. *Libellus famosus*, sive *infamatorius* est, cum publicatur in scriptis aliqua gravis et occulta infamia cujusdam. Vocatur etiam libellus famosus scriptura tradita judici absque nomine accusatoris. Adversus eos qui hos libellos conficiunt, adest excommunicatio ferendæ sententiæ ut habetur ex c. *Qui alterius 5. quest. 11.*; sed late, si libellus sit adversus Papam, aut Cardinales; imo est reservata, si est contra ordines Franciscanum et Dominicanum, aut alium communicantem; non vero si contra aliquem particularem Religiosum. Eandem culpam et pœnam incurrunt qui ad alicujus januam quoddam infamatorium signum appendunt (3).

(3) Lib. 3. n. 995.

3. et 4. *De lacticiis.*

5. *De larido.*

6. *De tribus Bullis Benedicti XIV*

7. *An dispensati ad carnes possint vesci piscibus.*

8. *De carne suina.*

9. *De unica comestione.*

10. *De interruptione prandii.*

11. *De electuariis, etc.*

12. *De potionibus.*

13. *De vino et birra.*

14. *De sorbetto.*

15. *De chocolate.*

16. ad 19. *De collatiuncula serotina.*

20. *Si quis pluries vescitur carnibus, aut alio cibo, etc.*

21. *de hora refectiois.*

2. Tres sunt conditiones quas requirit jejunium ecclesiasticum, abstinentia a carnibus, unica comestio, et hora refectiois. Præcipue jejunium consistit in abstinentia a carnibus eorum animalium, quæ in terra nascuntur, et respirant juxta regulam s. Thomæ (4): aut communiter

(4) 2. 2. q. 447 A. 8.

inter carnes, et non inter pisces reputantur juxta sententiam communem aliorum. In dubio autem an esus carniū alicujus animalis tempore jejunii sit licitus vel illicitus, nec adsit legitima consuetudo, videndum erit, ait Benedict. XIV. (1), ex regula Angelici, *an hujusmodi animal sit simile, aut dissimile iis, quorum esus diebus jejunii interdictus est, et an illius carnes humano corpori validius nutriendo, et corroborando idoneæ dignoscantur; quod ubi ita esse appareat, profecto inter eas adnumerari debent, quæ jejunantibus apponi nequeunt, quemadmodum late probat Tamburinus tom. I. 4, in Dec. c. 5. §. 1. n. 10. tum ad h. præc. Eccl. c. 3. n. 2.* Et si ita nec quid certi definiri potest, subjungit idem Benedict. rem deferendam esse ad sedis apostolicæ judicium. Hinc dicunt Bonac. Regin. Conc. Tamb. Holz. Elbel, etc non esse vetitas testudines, ranas, limaces (vulgo dictas *maruzze*), locustas (vulgo *grilli*), aut conchilia. Idem dicunt Holzman et Elbel de lutris (vulgo *lutrie*), de castoribus, et de anatibus cujusdam generis. Contra aves, licet quædam earum nutriantur in aquis, nihilominus omnes pro veris carnibus habentur, ut sunt fulicæ, corvi marini, et similes (2). Ab isto præcepto sunt immunes amentes, et pueri ante usum rationis. An autem eximantur pueri qui ante septennium perfecto usu rationis dotati sunt, vide quod dictum fuit *Tract. 2, n. 37.*

3. In quadragesima autem adultis prohibentur sub gravi, non solum carnes, sed etiam ova et lactinia, ut habetur ex prop. 32. ab Alexandro VII. proscripta, quæ dicebat: *Non est evidens quod consuetudo non comedendi ova, et lactinia in quadragesima obliget.* Hic quæritur 1. an in vigiliis, et quatuor temporibus extra quadragesimam sint universe interdicta lactinia? Nonnulli (sed pauci) affirmant ex can. *Denique 6. dist.*

(1) De synodo l. 11. c. 5. n. 42. — (2) L. 3. n. 1011, et 1012.

4. ubi s. Gregorius scripsit: *Par autem est, ut jejunemus a caseo et ovis.* Et hujus sententiæ videtur esse s. Thomas (3) dicens, *Ecclesiam interdicere fidelibus tam carnes, quam ova.* Sed nos dicimus cum sententia communi, in vigiliis non vetari lactinia, nisi ubi inolevit consuetudo abstinenti; ita Navar. s. Antonin. Laym. Sanch. Concina, et alii cum Salm. qui pro hac re adducunt etiam Concil. tolet. Nec obstat dictus Jan. *Denique*, quia ibi s. Gregorius quæsitus fuit de solo jejuniō quadragesimali, et congrue responsio arrisit petitioni; et s. Thomas de eadem quadragesima loquitur, nam de aliis jejuniis disserens *cit. a. 8. ad 3. dicit: Et ideo in quolibet jejuniō interdicuntur esus carniū, in jejuniō autem quadragesimali interdicuntur universaliter etiam ova et lactinia.* Igitur extra quadragesimam de jure non interdicuntur ova. Nec obstat quod exprimitur in Bulla, *In suprema N. SS. P. Benedict. XIV. In quadragesima aliisque diebus carniū et lactiniū esus est prohibitus, dispensari contigerit, etc.* Nam ut scripsit probabiliter quidam auctor modernus (*P. de Petio Teatinus in addit. ad Fel. Pot.*), per prædicta verba non reprobatur sententia contraria, cum possint intelligi relative ad tempus solummodo quadragesimale, non vero aliis: sed nodus omnis solvitur ex aliis verbis Pontificis *de Synodo* (4) ubi Pontifex sic loquitur: *In cæteris vero jejuniis extra quadragesimam sicut ab Episcopo prohiberi non debent ova, et lactinia in iis locis, in quibus eorum usus legitima consuetudine jam pridem inolevit, ita, etc.* Si Episcopis insinuat quod prohibere non possunt, evidens est quod reipsa quidem non prohibent, nec declaravit prohibita esse, saltem ubi consuetudo viget iis vescendi (5).

4. Quæritur 2. an ubi adest consuetudo abstinenti a lactiniis, incolæ teneantur sub gravi ab illis abs-

(3) 2. 2. q. 447 a. 8. — (4) L. 11. c. 5. n. 43. — (5) L. 3. n. 1009.

tinere? Negant Sanch. Villal. Tamb., etc. quia de ea non constat (uti dicunt) an introducta sit cum animo se obligandi sub gravi, uti necesse erat. Sed affirmat communis sententia, quam nos sequimur cum Less. Laym. Conc. Salm. Bonac. Viva, et aliis cum s. Thoma (1); quia sicut diximus *Tract. 2. n. 79. in fin.* cum talis abstinentia sit gravis oneris, et cum videatur ita constanter observari, bene quidem præsumitur introducta esse et continuata animo se obligandi, aliter faciliter cessasset; et posito quod præsumptio stet pro obligatione, pro eostat possessio, et non pro libertate (2). Et idem dicemus propter eandem rationem de obligatione Monialium ad Horas canonicas. Vide in appendice 3. *de examine Ord. n. 61.*

5. Quæritur 3. an iis quibus permittuntur lactinia, permittatur lactinum? Affirmant Silvest. Ostiens. Abb., etc. et p. Viva appellat probabile, citans Laym. et Azor. (sed ego inveni Laym. omnino id improbare, et Azorium non damnare tantum). Tamburinus cum Diana et Henric. admittit solum cum liquefactum est; sed ego judico sequendam esse primam sententiam communem San. Bonac. Conc. Ronc. Elbel. Milante, et aliorum qui omnino negant, quia pinguedo est vera caro (3).

6. Quæritur 4. an dispensati ad carnes, aut ad lactinia, possint diebus jejunii vesci piscibus? Sed hic ante omnia notanda sunt ea quæ sancta sunt, et declarata a SS. P. Benedicto XIV. circa jejuniū in tribus suis Bullis. Et 1. in Bulla *Non ambigimus* data die 30. Martii 1741. declaratum fuit neminem posse dispensari ad carnes *sine legitima causa et de utriusque medici consilio*, nempe medici et parochi, aut confessarii; et super declaratum fuit ad dispensandum cum integro populo, aut communitate, requiri gravissimam et ur-

(1) Cit. qu. 147 a. 8. ad 3. — (2) L. 3. n. 1009. dub. 3. — (3) N. 1010.

gentem necessitatem, ac dispensationem impetrandam esse a Sede apostolica toties quoties opus fuerit; et tunc sic dispensatos teneri ad unicam comestionem, ac non esse miscendas licitas atque interdictas epulas, nempe carnes et pisces, ut declaravit in Rescripto ad Episcopum Compostellæ, quod affertur in Bulla *Libentissime*. 2. In Bulla *In suprema* ejusdem anni, die vero 22. Augusti declaratum fuit iisdem duobus præceptis teneri quemlibet privatum cum quo dispensatum esset, et non tantum in quadragesima, sed etiam in omnibus aliis jejuniis diebus. 3. In Bulla *Libentissime* sub die 10. Junii 1745. declaratum fuit dispensatos ad carnes in collatiuncula serotina eo cibo eaque portione debere uti, quibus utuntur jejunantes *meticulosæ conscientie*. 4. Debere ipsosmet observare normam præscriptam jejunantibus. 5. Cibos vetitos dispensatis ad carnes esse pisces (etiam in Dominicis quadragesimæ); ita ut in eadem mensa non possint simul apponi carnes et pisces. Epulas interdictas (sunt verba Bullæ) *esse pisces, adeoque utrumque simul adhiberi non posse*: subjungendo ibi quod permittuntur pisces dispensatis ad lactinia.

7. His positis, dubitabatur a quodam an in mensa privata liceret dispensatis ad carnes vesci aliquo pisce? Super hoc scripsit prænominatus de Petio, inhibitionem esse factam tantum pro convivii ob scandalum, non autem pro illis in mensa privata qui moderate vellent aliquo pisciculo vesci, ablato scandalo, et non ex gula. Sed esto istæ limitationes ponantur, attamen omnino improbabilis est talis opinio (n. dicam inventum), dum 1. Bulla loquitur generaliter. 2. Pontifex in tantum exprimit convivia in citata Bulla, non quia præceptum cadere velit tantum super illa, sed ut ostendat quo fuisset prætergressa gula indulgendi licentia, ut etiam ad convivia epulæ interdictæ inferantur, quod utique

temeritatem majorem sapit. 3. Relictis subtilitatibus ratiocinationibusque inanibus ex eo quod in posterioribus Bullis statuitur, luce meridiana clarius videbitur longe aberrasse de Petio. In Bulla enim *In suprema* sic statuitur: *Nos quibuscumque... dispensari contegerit, ab omnibus omnino, et nemine excepto* (nota) *unicam comestionem, et licitas, atque interdictas epulas minime esse apponendas declaramus, atque decernimus.* Ergo sicuti nemini, sive in privato, sive in convivio licet plures comestiones adhibere, ita nec epulas interdictas (quales sunt pisces), cum ad utrumque obliget omnes, nemine excepto; alias deberent excipi qui privatim et non in convivio pisces comesturi essent. 4. Interrogatus Pontifex quænam epulæ sint interdictæ conjungi cum licitis, respondit epulas licitas pro iis quibus permisum est carnes comedere, esse carnes ipsas; epulas interdictas esse pisces, adeoque utrumque simul adhiberi non posse: ergo pisces interdicti sunt iis quibus conceduntur carnes absolute, quales sunt ii qui etiam privatim comedunt. 5. Pontifex ibidem declarat pisces non interdicti iis, qui sunt dispensati ad lactinia, ergo sunt interdicti dispensatis ad carnes. Quid clarius desideratur?

8. Quæritur 5. an dispensatis ad carnes tempore jejuniorum, sit vetita caro suina? Affirma absolute p. Conc. ex quodam Decreto quod adducit Clementis XI. Romæ edito die 24. Februarii an. 1702. Sed communiter negant Lugo Sanch. Croix Tamb. Salm. cum Trull. Villalob., etc. quia esset nimis scrupulosum (uti dicunt) imo magis molestum, quam jejunium ipsum, si quilibet dispensatus examinare deberet, quæ carnes sivi essent nocivæ, quæ vero non. Nec obstat Edictum (non jam Decretum) præfatum Clementis, ubi duo præcepta fuerunt, unum ut dispensati tenerentur ad unicam comestionem, aliud ne iisdem permitterentur carnes in-

salubres: non obstat, dico, quia illud Edictum non fuit generale, sed particulare pro statu romano, ut attestatur Viva et alii, et ut declaravit idem Benedictus XIV. cum erat Archiepiscopus Bononiensis in *notific. tom. 1. n. 24.* Et postea in Bulla *Non ambigimus*, cum meminisset laudatum Edictum, licet universale fecisset præceptum unicæ comestionis, sub silentio tamen præterivit præceptum de abstinendo a carnibus non salubribus: unde argumentatur non voluisse Pontificem hoc præceptum fieri universale. Sed ut loquar in particulari de carne suina, non mihi videtur quod possit dici absolute nociva, dum ista, ut scribit celeberrimus medicus Hoffmanno, maximam habet cum sanguine humano convenientiam. Sed dicet aliquis, cur talis caro interdicta fuit Hebræis, nonne quia nociva? Sed respondetur quod in Palæstina (regione valde calida) ibi ideo potuit ut nociva prohiberi, quia ibi sues (juxta Calm. in Levit. II. 8) sunt faciliores lepra inficiari; quod in aliis partibus non ita accidit sicut etiam vetita fuit caro leporis, sed in istis regionibus lepores certe non reputantur nocivi. Præterea s. Thomas (1) dicit carnes vetitas fuisse Judæis, aliæ ob nimiam humiditatem aut siccitatem; aliæ ob immunditiam, ut carnes suillæ; et revera ratio talis prohibitionis allata a Moyse est, quia illæ erant carnes immundæ Hebræis: *Horum carnibus non vescimini, quia immunda sunt vobis, Levit. II. 8.* Dicuntur immundæ, quia, ut scribit Plutarchus, *nultum animal ita gaudet cæno ac sordidis locis.* Insuper ait Natalis de Alexandro, et idem prius scripserat Tertullianus (*Lib. 2. contra Marcionem c. 18.*), carnem suillam fuisse prohibitam Judæis ad frenandam gulam et incontinentiam.

9. Secunda conditio jejunii est unica comestio. Dubitabatur prius an dispensati ad carnes ad illam tenerentur. (1) L. 2. q. 402 a. 6. ad 4.

rentur, eo quia cessante abstinencia a carnibus, cessabat quoque essentia jejunii? Sed hodie (ut diximus) declaratum habemus a Benedicto XIV. jejunium duo continere præcepta, unde licet cesset primum de abstinencia a carnibus, non cessat secundum (licet minus principale) de unica comestione; excipitur tamen casus quo dispensatio ad carnes concedatur ob infirmitatem aut debilitatem virium, ut dicunt dd. communiter, et ut ab eodem Pontifice declaratum est in Bulla *In suprema*, ubi dicitur: *Dummodo nulla certa et periculosa affectæ valetudinis ratio intercedat vel aliter necessario fieri exigat* (1).

Tertia conditio est hora refectionis, quæ est circa meridiem. Fit quæstio an peccet notabiliter antevertens horam sine causa? Illud notabiliter alii intelligunt plusquam horam, sed alii probabilius tantum horam. Ceterum anticipare infra horam omnibus licet. An autem anticipatio notabilis sit mortalis, affirmant Azor. Sanch. Ronc., etc.; sed communius negant Less. Tolet. Pal. Laym. Roncag. Holzm. et Salm. cum aliis pluribus. Quia hora non est de essentia jejunii, sed tantum circumstantia accidentalitatis, quæ licet olim graviter obligabat hodie tamen, ut aiunt Holzman et Roncaglia, postquam ex consuetudine mutata est hora prandii, designatio temporis non videtur inducta tanquam de substantia jejunii (2).

10. Permittitur nihilominus 4. interrumpi prandium ob aliquod negotium quod intercedit. Sine causa ceteroquin non licet prandium interrumpere, et denuo ad mensam redire; sed hoc intelligitur moraliter; nam etiam sine causa, et quamvis aliquis terminasset prandium, potest iterum comedere, si commensales prosequuntur prandere, aut si in mensa afferuntur aliæ epulæ, quæ non expectantur.

(1) L. 3. n. 4015 v. hic autem. — (2) N. 1016.

tabantur; ita Sanch. Salm. et Villalob. Imo Filliuc. Tamb. et Elbel concedunt generaliter posse sumi alium cibum post sesquiquadrantem. Certum est autem per horam, sine causa, prandium interrumpi: sed si aliquo negotio quis intercipitur, utique potest ad horam interrumpere; imo Lezana Diana Fag. Tamb., etc. concedunt usque ad duas: sed id jure merito ait Holzm. licere, cum quis cibo sufficienti non fuerit refectus et jejunium sub gravi incommodo tolerare non potest, tunc potest prandium reassumere, quia ecclesia non intendit aliquem obligare diem ducere sine sufficiente refectione (3). Probabiliter tamen dicunt Croix Fagund. et Tamb. licere prandium protrahere usque ad duas horas; et Elbel. cum Gobat admittunt usque ad tres aut quatuor horas, saltem pro Germanis, inspecta eorum consuetudine (4).

11. Permittitur 2. aliquod sumere ratione medicinæ, ut sunt electuaria (quæ sunt quædam conservæ ex saccharo et juniperis, aut cedro, etc. confectæ) de quibus loquitur s. Thomas (5), et sic dicit: *Electuaria assumuntur ad digestionem, unde non solvunt jejunium, nisi forte aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate assumat per modum cibi.* Itaque licet assumere hæc electuaria ob quamlibet causam justam, nempe ad vehiculum cibi, ad stomachi roborationem, ad vocem conservandam, ad auferendum oris fetorem et hujusmodi. Ita etiam permittitur sumere parum cibi (v. gr. unciam) ad depellendam debilitatem, ut communiter Azor. Less. Tol. Laym., etc. Nonnulli hoc permittunt toties, quoties bibendum erit, ne potus noceat; sed hoc, ut recte dicunt alii, vix potest permitti semel atque iterum in die (6).

12. Permittuntur 3. omnes potio-

(3) Lib. 3. n. 4020 q. 3 et 4. — (4) Ibid. quaer. 5. — (5) 2. 2. q. 447. a. 6. ad 3. — (6) L. 3. n. 4018 et 4019.

nes, quæ per modum potus accipiuntur, ut sunt *Caffè, et Thé, Salvia*, etc. non autem lactis, aut juris, quia licet hæc potiones sorbeantur, tamen non habent rationem potus, sed cibi, et potius ad nutritionem, quam ad cibi vehiculum referuntur. Et idem dicitur de succo fructuum, aut pomorum, vulgo *melloni d'acqua* (contra id quod quidam modernus anominus improbabiliter scripsit), et etiam uvarum dentibus confectarum, aut tunc pressarum (1).

13. Dixi *uvarum tunc pressarum*, non *vini*, quia licet antiqui fideles etiam a vino abstinerent, hodie vinum non est prohibitum, licet biberetur ad sedandam famem, ut communiter tenent Azor. Sanch. Less. Navar. Layman. Bonac., etc. cum Salmant. qui ob præsentem consuetudinem hanc sententiam vocant certam. Et etiam s. Gregorius tunc temporis in cit. c. *Denique, dist. 4.* permittebat vinum sine ulla exceptione: *Vinum quoque ita bibere permittitur, ut ebrietatem omnino fugiamus.* Et idem dicitur de *cerevisia* seu *birra* (quæ conficitur ex aqua hordeacea, et aliis ingredientibus), quæ etiam pro vero potu accipitur (2).

14. Idem dicimus de aqua mixta saccharo, et succo cinnamomi vel mali cedrini, vulgo dicta *sorbello*, vel *limonata*, ut docet communis sententia cum Wigandt Concina Elbel Salm. Viva Croix, etc. dum (ut dicunt) semper ac parva quantitas harum rerum misceatur cum magna quantitate aquæ, reputatur potio naturalis. Nec debet existimari quod per congelationem mutet naturam, quia naturæ mutatio importat privationem essentiali: sed aqua congelata in os immissa statim liquefit, et ad priorem statum redit. Et quod congelatio non mutet naturam, etiam habemus ex Rubrica Missæ (c. 20. n. 11.) approbata a S. Pio V. ubi dicitur quod, cum in celebrando Missam congelantur post consecrationem species

(1) N. 4021. — (2) N. 4022. —

vini, non debent iterum consecrari (quod utique deberet fieri omnino, si congelatio mutaret naturam specierum), sed debent liquefieri igne, et postea sumi (3).

15. Quæstio magna est inter dd. an potio *chocolatis* frangat Jejunium. Multi negant, Card. Brancatius Escob. Hurtad. Holzn. Viva, etc. modo aquæ portio sit in quantitate excedente; dicentes ex hoc sumi rationem potionis, ideoque dicunt posse sumi toties quoties liberit in die. Alii vero affirmant, ut Sanch. Sylvius Laym. Ronc. et Tambur. dicentes eam potionem tantum habere rationem potus, quæ ad alimenti vehiculum inservit, non autem illam quæ ipsa est alimentum, ut est lac, et jus, et ita est etiam de chocolate, unde concludunt per illud frangi jejunium, nisi sumatur in parva materia. Quid ego vero sentio dicam: mihi utique *chocolate* pro potu non probatur dum vere illud nutrit, et non videtur simplex potus. Sed nihilominus dico licere illud sumere ob duas rationes; prima est, quia si chocolate non habet rationem potus communiter tamen a multis iudicatur habere rationem medicinæ et sicut diximus cum s. Thoma posse sumi electuaria, licet nutriant, ita etiam chocolate, et in hoc convenit etiam p. Concina. Secunda ratio magis universalis, quia hodie talis potio est in usu apud omnes ut testantur Salmant. Viv. Holzn. Tamb. et Ronc. qui, stante hac consuetudine, pro comperto habent posse licite sumi. Sed tam ratione medicinæ, quam consuetudinis, puto cum Salm et Milante, non posse permitti amplius quam semel in die. Sed tota nunc opinionum varietas est circa quantitatem in qua possit sumi. quin jejunium lædatur. P. Concina dicit posse admitti sub medicinæ ratione; sed dumtaxat in aquam ponendo *parum pulveris*, quod utique est nimis rigidum, et a nemine usque adhuc as-

(3) L. 3. n. 4022 quaer. 2.

sertum. Alii ut Salm. cum Leone, et Turriano permittunt usque ad duas uncias. Sed ut meam in medium proferam sententiam, cum Episcopo Milante rationabilius mihi videtur posse admitti juxta usum communem sequi unciam, cum ea aquæ quantitate, quam capere potest vas usuale, quia hæc est quantitas illa, quæ communiter est in usu. i.

16. Permittitur vespere refectiuncula juxta consuetudinem, quæ hodie viget in locis a Prælatibus tolerata: nam s. Thomas (1) de jejunio disserens, dicit: *Ex hoc ipso quod Prælati dissimulant, videntur annuere.* Et in hoc certe standum magis auctoritati a. modernorum, licet inferiores numero, quam antiquis, qui nihil poterant attestari de consuetudinibus modernis. Nulli dubium est quod antiquitus jejunium rigorosius observabatur, sed juxta modernam disciplinam ab omnibus admittitur serotina refectiuncula. In hoc debet attendi quid consuetudo permittat tam circa *quantitatem*, quam circa *qualitatem* ciborum. Circa *quantitatem* (quicquid dicat p. Concina, qui nihil aliud permittit, nisi tres uncias), alii permittunt quartam partem cœnæ consueta: sed hæc regula mihi non probatur, quia aut potest esse nimis indulgens (saltem respectu aliquorum), aut saltem est nimis obscura et scrupulosa. Melius igitur est sententiam sequi aliorum, communiter hodie acceptam, uti testantur Castropal. Ronc. Salmant. Viva Bonac. Holzn. Elbel Tamb. Dian. Spor. Milante Croix Felix Pot. Mazzot., etc. quæ omnibus indiscriminatum (etiam illis qui parvo cibo indigent, ut etiam communiter dicunt) permittit quantitatem octo unciarum, et aliquid aliud (nempe duas alias uncias, quod est parva materia, uti dicitur num. 20.) ei qui majori nutrimento opus haberet (2). In vigilia Nativitatis communiter admittitur collatiuncula duplo major, nempe 16. unciarum, ratione talis solemnitatis, etiamsi talis vigilia incidat in sabbato 4. temporum; non autem in sabbato sancto, nec in vigilia Pentecostes. Nonnulli, uti Salmant., permittunt in vigilia Nativitatis usque ad satisfactionem refici, dicendo talem esse consuetudinem: sed ego de illa valde dubito in nostris regionibus; tanto magis quod p. Mazzotta Pasqual. et Renzi omnino eam negant. Si quis autem vellet in eadem vigilia anticipare collatiunculam in mane, ut cœnet vesperi, rationabiliter advertit Sanch. (contra id quod sentiant alii) non posse excedere octo uncias, quia tunc non adhuc incœpit festivitas, quæ incipit a vespere (3).

17. Circa autem qualitatem ciborum, certum est permitti fructus, panem, herbas et dulciaria: sed queritur an permittantur pisces? Multi a. ut Sporer Marchant. Pasqu. Elbel Tambur. Vivald. et Burghaber, dicunt juxta hodiernam consuetudinem licere vespere cibum sumere de piscibus etiam recentibus et magnis, ut licet mane. Cæterum in hisce partibus recepta est consuetudo comedendi pisciculos recentes, et ut dicunt Viva et Mazzotta, cum Bonac., etiam licere sumere in modica quantitate (v. gr. duas aut tres uncias (aliquid piscis grandioris. Idem confirmat Milante (4), qui testatur nunc temporis etiam communitatibus religiosis ministrari vespere pisciculos recentes in quadragesima, et quoad majores sic scribit: *Attenta præsentis disciplina, sine ullo scrupulo posse etiam magnos pisces permitti existimo, cum debito moderamine* (5).

18. Queritur 2. an liceat sumere 8. uncias panis in aqua cum oleo decocti? Nonnulli admittunt, sed hæc opinio jure merito a Salmant. Viva Ronc. Tambur. et ab aliis communiter refellitur, quia panis, per coc-

(3) Lib. 3. n. 4025. v. in vigilia. —

(4) In prop. Alex. VII. Exercit. 23. — (5) L. 3. n. 4026 et 4028.

(1) 2. 2. q. 447 a. 4. ad. 3. — (2) L. 3. n. 4025.